

conspirare. Existimamus, vel primos interpretes, vel librarios nostros omisisse versus, Codices Masorethicos ob oculos habentes. Alios vero librarios ad fidem integrorum Codicum Hebræorum, eosdem in margine posuisse. Unde tandem textui illati, sed loco minus convenienti. Confirmat conjecturam ætas Codicum, qui recentiores sunt, ut constat ex præfamine Thorndicii collationibus præmissis. Præterea duæ urbes Bosor & Mephaath videntur a scribis omissæ, in quarum locum alia urbium nomina Cariathim & Afemoth sunt aliunde adscripta, ut numerus compleretur quaternarius. Quod Kermoth loco Kedmoth legatur, vel librarii vel typographi vitium est, qui  $\delta$  r cum  $\rho$  d confudit, quia unico puncto differunt. Arabica versio h. l. convenit accurate cum Codice Hebræo, & probat, in Codicibus Judæorum nostros versus extitisse. Nam licet ea, prout in Londinensibus Bibliis sese offert, in plurimis libris cum LXX. congruat, in Josua tamen ad Codicem Hebræum composita est, quod ex collatione patet. In Æthiopica translatione, quam, uti ex literis ad Præsidem datis constat, Clar. Joh. Heinr. Michaelis, Professor Hallensis MSSum possidet, nostri versus pariter adsunt, quod etiam in Annotatione in Bibliis Hallensibus proxime prodituris observatum.

## §. XVIII.

Ab Orientalibus ad Græcos progredimur, visuri, quæ olim in suis Codicibus legerint Græci Interpretes. Sed mirum in modum illi sese nobis sistunt corruptos, & multifariam discrepantes. In Commelin. Codice hæc legimus:

v. 36. καὶ πόλεις τῆς Ἰορδάνου τὴν Ἰεριχώ ἐκ τῆς φυλῆς ρ' ἠβὴν, τὴν πόλιν τὸ Φυγαδευτήριον τῆς Φονέυσαντος, τὴν βοσώρ, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἰαζήρ, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς.

v. 37. καὶ τὴν Κεδσών, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς, καὶ τὴν μαφά, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς, τέσσαρες πόλεις.

h. e.

v. 36. *Et urbes Jordanis, Jerichuntem ex tribu Ruben, urbem*  
re-